

Universitätsbibliothek Wuppertal

Plvtarchi Chaeronensis Moralia, Qvae Vsvrpantvr

Svnt Avtem Omnis elegantis doctrinæ Penvs : Id est, varij libri: morales, historici, physici, mathematici, denique ad politioem litteraturam pertinentes & humanitatem : omnes de Graeca in Latinam linguam transscripti summo labore, cura, ac fide

Plutarchus

Francoforti ad Mœn, M.D.LXXXII

De auditione libellus


Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-289](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-289)

mas admittunt: vnde rerum materia existit. In qua ipsa tractanda cum iuxta se bona & mala collocentur, facilius meliorum & agnitio demonstratur, & electio. In summa autem, huiusmodi argumentum occasionem poetæ tribuit
 5 omnis generis orationes referendi, alias à se, alias à personis quæ introducuntur: ex quib. magna ad lectores redeat utilitas. Denique cur non omnis virtutis laudem Homero tribuamus? cum posteri etiã ea in ipsius pœsi animadu-
 10 runt. Nam & quidam versibus eius ita vtuntur, vt oraculis deorum: & alii, cum aliam sibi materiam sumpserint, versus eius transcribentes atque componentes eò accom-
 modant.

15 **PLVTARCHI DE AVDTIO-**
ne libellus.

 VAM de audiendi ratione habui disputationē, eam litteris mandatam ad te, mi Nicander, mitto, vt quãdo virili sumpta toga è præceptorum
 20 potestate exiisti, rectè mouentibus obtemperandi modum habeas cognitum. Nam licentia, quam nonnulli iuuenum non probè instituti libertatem putant, iis
 qui pueros rexerant magistris ac pædagogis importunior
 25 res imponit dominos, cupiditates, inquam, quasi vinculis iam solutas. Et quomodo Herodotus ait simul cum tuni-
 ca mulierem etiam verecundiam exuere: ita adolescentum
 30 quidam simul cum puerili veste pudorem ac metum depol-
 lentes, soluto qui eos condecorabat amictu, statim contumacia obruuntur. Tu verò, qui sæpenumero audiisti idem
 esse DEVM sequi, & parère rationi, existimare debes eos
 qui sana sunt mente ita iudicare, se quãdo à pueritia ad virilem euadunt ætatem, non abicere imperium, sed mutare
 imperatorem, dum loco mercede conducti aut ære emti
 35 magistri diuinum vitæ ductorem accipiunt Rationem cui qui parent, soli digni sunt qui pro liberis habeantur. Soli enim hi viuunt vt volunt, qui quid velle debeant didicerunt.
 ineruditæ autem & rationis expertes animi incitationes atque actiones exilem quandam ignobilemque voluntatis
 libertatem multa cum pœnitentia coniunctam habent.

Licentia.

*Lib. I. 172
 Gygis historia.*

*Libertas
 Vera.*

iam sicut qui in ciuium numerum adscribuntur alienigenæ & omnino peregrini, multa eorum quæ sunt reprehendunt ac iniquè ferunt: qui verò inquilini educatione ac consuetudine sibi leges familiares reddiderunt, absque molestia quæ suarum sunt partium obeunt, iisquæ sunt contenti. ita oportuit à multo tempore in philosophia enutritum, ac iam iade ab initio gratis ad sue factum ad percipiendum disciplinas auditionesquæ pueriles philosophica oratione permixtas, mansuetum proinde atque quasi domesticum conferre se ad philosophiam, quæ sola virilem & re vera perfectum iuuenibus apponit ornatum. Neque iniucundū puto, tibi erit audire de sensu auditus, quem Theophrastus omnium sensuum maximè ad motus animi ciendos facere ait. neque enim quicquam eorum quæ visu, quæ gustatu, quæ tactu percipiuntur, tantas mentis alienationes, tumultus, consternationesquæ adfert, quantæ animum occupant, strepitibus quibusdam & fragoribus & sonitibus ad aures accidentibus. Est tamen hic sensus magis rationi quàm affectibus idoneus. Vitiis enim multæ partes corporis multaque loca aditum spaciumquæ ad animam penetrandi præbent. vnica virtuti qua adolescentes arripiat ansa aures sunt, siquidem puræ sint, & iam inde ab initio adulatoriarum corruptelarum vacuæ, intactaque à prauis sermonibus seruentur. Itaque Xenocrates aurium munimenta pueris potius quàm athleticis applicari iubebat: quod horum aures verberibus, illorum mores verbis peruerterentur. neque ille auditionis vacuitatem aut surditatem commendabat: sed hortabatur vt tantisper ab audiendis prauis sermonibus abstinerentur, dum bonæ orationes tanquam custodes ingenio philosophiæ educatione appofiti eam regionem occuparent, quæ maximè oratione mouetur atque ducitur. Ac Bias quidem ab Amaside iussus simul & optimam & pessimam victimæ carnem mittere, linguam ei exsectam misit. nimirum quia sermo & utilitatis & damni plurimum affert. Et vulgo paruulos qui de osculantur, cum ipsi aures eorum tangunt, tum eos idem iubet facere: per iocum innuentes, maximè amandos esse eos qui per aures profunt. Nam hoc quidem in promptu est, adolescentem ab omni exclusum auditione, vbi gustare doctrinam ceperit, non modò sterilem planè fore, nequæ vlla virtutum

Auditores.

tum editur
 cum exan
 syluetria
 simitras de
 5 mū aila
 genæ su
 quis patia
 neq; boni
 tura com
 10 suetius li
 pere vile
 audire op
 per. & cum
 quog; vni
 15 ante quam
 di esse disc
 modo au
 cere & acc
 est recte a
 20 tio lectus
 ta & quæ
 semper
 nesciunt
 condote
 25 neus excid
 trum
 Et vala qu
 infundere
 sublo: sep
 30 audition
 dicunt. I
 cidant
 cationem
 pergat di
 35 ac de re v
 corrigere
 tiantur: s
 victoriam
 gas audian
 us potius

- tum editurum germina: sed & ad vitia facilè desciturum, cum ex animo rudi veluti solo inculto pleraque pullulent syluestria. Impetus enim animi ad voluptatem ferentes, ac sinistras de labore suspiciones (qui non extrinsecus in animū allabuntur aut oratione intro ducuntur, sed veluti indigenæ sunt infinitorum affectuum ac morborum fontes) si quis patiatur laxatis habenis eò quo natura ducit deferri, neq; bonis ea præceptis minuendo aut aliò desestendo naturā componat: nullū profectò animal est quod non man-
- 10 suetus sit hominè isto futurum. Quapropter cum magno- *Error au-*
pere vile, non minus tamen periculosum sit adolescentib. *diendi ra-*
audire, opere precium esse existimo vt quisq; & secum sem- *tionem ne-*
per, & cum aliis de ratione audiendi colloquatur. Nam in eo *glugētium.*
quoq; videmus errare plerosq;, quod in dicendo se exercēt
- 15 ante quàm se ad audiendum aduifecerint: putantq; dicen-
di esse disciplinam atq; meditationē, vtiliter autem quouis
modo audiri. At verò qui pilæ ludum tractant, simul & ia-
cere & accipere pilam discunt: in vsu verò sermonis prius
est rectè accipere quàm emittere: sicut conceptio & reten-
tio foetus, partum antecedit. Iam quod aues interdum irri-
ta & quæ Zephyria vocantur ova pariunt, in causa aiunt ef-
se imperfectos & inanimatos conceptus. qui autem audire
nesciunt adolecentes, neq; vtilitatem ex auditione capere
condoçefacti sunt, eorum sermo verè inanis ac subuenta-
neus excidens,

Irritus, ignotus, sub nubibus euancescit.

- Et vasa quidem inclinare solent atque obuertunt, vt quæ
infundere volunt, recipi possint, fiatq; verè infusio, non ef-
fusio: seipos verò dicenti accommodare, attentionem quæ
30 auditioni adhibere, ne quid vtiliter dictorum effugiat, non
discunt. sed (quod omnium maximè deridiculum est) si in-
cidant in aliquē, qui crenam, pompam, insonniū aut alter-
cationem sibi cum alio habitam narret, taciti audiunt, & vt
pergat dicere flagrant. sin verò eosdem alius ad se trahat,
35 ac de re vtili docere, vel admonere, aut peccantem verbis
corrige, aut demitigare animo cōmorum cupiat, non pa-
tiuntur: sed vel contentiosè impugnant eius orationem si
victoriam sperant, vel eo omisso proripiunt se aliò vbi nu-
gas audiant, aures suas, tanquā inutilia & vitiosa vasa, qua-
uis potius quàm necessaria aliqua re implentes. Cæterum
i 2 sicut

*Audire
multa, lo-
qui pauca,
praclarū.*

sicut equos qui rectè instituunt, eos docent fræno facilè
parere, ita qui pueros, ad audendum promptos faciunt, do-
centq; audire multa, loqui pauca. Nam Epaminondam lau-
dans Spintharus aiebat, Non facilè se cū alio rem habuisse,
qui & plura nosset, & pauciora diceret. Ac naturam aiunt
propterea vnicuiq; nositūm duas dedisse aures vnā lin-
guam, quod pauciora loqui debeamus quàm audire. Pro-
inde cum vbiq; silentium adolescenti tutum sit ornamen-
tum, maximè tum prodest, cū audiēs dicentem non per-
turbat, neq; ad singula elatrat: si etiam, si oratio non pro-
berur, sustinet tamen expectatq; dum dicendi ille finem faci-
at: ac vbi is perorauit, non illico contrā dicere orditur, sed
(vt Æschines præcipit) spacium ei relinquat siue addendi
aliquid dictis si ita videatur, siue mutandi quidpiam vel
detrahendi. Qui verò statim interrumpunt, & neque au-
diunt neq; audiuntur, sed aduersus dicentes dicunt: ij con-
tia decorum agunt. At qui continenter verecundè que au-
dire adsuevit, is & quod vtile est sermonis eius percipit at-
que retinet, & inutile seu falsum facilius perspicit ac depre-
hendit, veritatisque studiosus habetur, non contentionis, 20
neque temerarius aut rixator. Quare non ineptè quidam
dixerunt, nō minùs studiosè factum ac spiritus elatos ado-
lescentum ex animis, quàm aerem ex vtribus excutien-
dum esse, si quid vtile velis infundere, alioqui arrogantia
pleni inflati que non admittunt. Porro inuidia cum luore 25
quodam & maleuolètia nullam ad rem vtiliter adhibetur,
sed omnibus bonis impedimento est: pessimus autem af-
fessor est auditori atq; consiliarius. quia enim inuidi quauis
potius te delectantur quam rectè dictis, ita fit quæ vtiliter
dicuntur, molesta eis reddantur & iniucunda. neq; appro- 30
bentur. Et verò quæ diuitiæ gloria aut pulcritudo aliorum
vrit, is tantum inuidus est: molestè enim fert res aliorum
secundas. Qui orationi bonæ inuidet, hunc sua ipsius bona
exeruciant animi. Sicut enim lumen videntium, ita sermo
audientium bonum est, si velint amplecti. Sed inuidiam a 35
liarum rerum, incompositæ aliæ quædam & prauæ animi
affectiones efficiūt. quæ aduersus dicentes inanem ob glo-
riæ cupiditatem, ambitionemq; iniustam concipitur, hoc
modo affectum ne attendere quidem animum orationi fini-
nit: sed tumultuatur, mentem que circumagit simul & suos
habitus

*Inuidia
auditori
cauenda.*

habitus con-
dāt, simul
dicentem:
uerfus au-
sunt dimi-
ac tremen-
ac tum n-
dicuntur
ces tantu-
10 res quasi
ac perue-
hil perue-
tur eade-
de corrup-
15 cent. O-
inducis,
uium au-
sibi fe-
boni con-
20 protuler-
quibus
bet aud-
ria, labo-
latione
25 ris circ-
nis rei fa-
abinimi-
etiam v-
vanitas
30 gaudi-
prehen-
est in-
quod
hende-
35 menda-
aliorū
illud o-
admo-
mus: it-
bemus

habitus considerantē, & exquirentē an dicētis facundia cē-
 dāt, simulq; in alios intuentem an delectentur & mirentur
 dicentem: iuxta consternatam laudibus, & frementem ad-
 uersus auditores, si probant dicētem. Eademque quæ dicta
 5 sunt dimittit, quia molesta est eorum recordatio: & turbata
 ac tremēs reliqua audit, sollicita ne prioribus sint meliora.
 ac tum maximē finem orationis fieri optat, cū optima
 dicuntur. & finita auditione nihil dictorum considerat, vo-
 ces tantū & affectiones præsentiū supputat, ac laudan-
 10 tes quasi furore concita fugiens vitansq;, reprehendentib;
 ac peruerentibus dicta accurrens & se adfoeciens: aut si ni-
 hil peruerterit, iuniores aliquos comparans, qui videan-
 tur eadem de re melius ac maiore cū vi dixisse, donec tan-
 dē corruptā vitiatamq; auditionē prorsus inutile sibi esse
 15 cerit. Oportet ergo factis studio audiendi cum ambitione
 induciis, placido animo audire, tanquam ad sacrum conui-
 uium aut sacrificii primitias inuitatum, vique orationis,
 sicubi scopum suum assecutus est, collaudare: in reliquis
 boni consulere studium eius, qui quæ norat in medium
 20 protulerit, iisque mouere auditores voluerit rationibus,
 quibus ipse fuerat motus. Quæ dicta sunt præclare, nō de-
 bet auditor fortunæ aut casui imputare, sed studio, diligen-
 tiæ, laboriq; accepta ferre. eaq; cum admiratione & emu-
 latione imitari. vbi peccatum est, causas & originem erro-
 25 ris circumspicere perquirere. Sicut enim Xenophon ait bo-
 nis rei familiaris tractatoribus, & ab amicis commodari & *Vitia dicē-*
 ab inimicis: ita vigili & atrecto auditori non modō rectē, sed *tium au-*
 etiam vitiosē differentes profunt. Vilitas enim sententiæ, *ditiorū vit-*
 vanitas vocabuli, figura importuna, eruptio cum inepto
 30 gaudio ad laudē, & alia id genus, magis audiendo alios de-
 prenduntur, quāmi dicendo. Itaq; culpa à dicente nobis
 est in nos transferenda, videndum que an nostrum nos ali-
 quod tale fallat vitium Nihil enim facilius est quāmi repre-
 hendere alium quod inutiliter fit, & vanum est, nisi ad e-
 35 mendandos aut vitandos similes lapsus referatur. Itaque
 aliorū peccata consideranti in promptu sit sibi Platonicum
 illud occinere. Numnam & ego fortasse talis sum? Quem-
 admodum enim in oculis aliorum nostros resurgere cerni-
 mus: ita in orationibus aliorum contēplari formā nostrā de-
 bemus, vt neq; nimis audacter alios cōtemnamus, & ipsi in
 dicen-

dicendo nos maiori cum diligentia obseruemus. Vtilis est
 hac in re etiam cōparatio, vt cū soli sumus post auditi-
 onem, eorum aliquid, quæ non rectè aut non sufficienter di-
 cta putamus refutantes, cōnemur idem tractare argumē-
 tum, aggrediamurq; vel implere, vel corrigere, vel aliter di-
 cere, vel prorsus noua oratione persequi, quod Plato fecit
 Lysia oratione proposita. Non enim difficile est orationem
 alterius improbare, sed oppido procliue factu: meliorē au-
 tem eius loco reponere, id verò perquā magni est laboris.
 Qua ratione Spartanus ille cū Philippus diceretur Olyn-
 thum euertisse. Atqui (aiebat) ille profecto talem urbē con-
 dere non posset. Quando igitur in disserendo de eadem ma-
 teria sentiemus nos non multum prestare iis qui ante dixe-
 rant, à contemnēdo valdè retrahemur: & superbia qua no-
 bis placemus ipsi, in huiusmodi contentionibus redarguta,
 facile reprimetur. Contemtui admiratio est aduersa, quæ
 cadit in æquiora & mansuetiora ingenia. verū hic quoq;
 non exigua, ac fortasse etiam maior adhibenda est cautio,
 quatenus nimirum contemtores & feroces minus utilitatis
 audiēdo sibi comparant: ad admirationem autem propen-
 si atque simplices facilius damno afficiuntur. Et Heraclēti
 dictum non improbat, Stupidum hominem quauis oratione
 percilli. Oportet verò laudem candidè tribuere di-
 centi: orationi fidem caurè adhibere, ac dictionem quidem
 & actionem æquo animo & simpliciter spectare: utilitatem
 autem & veritatem eorum quæ dicuntur, accurato acriq;
 iudicio perpendere, vt & qui audiunt, odio vacent, & qui
 dicunt, nihil damni afferant. nā multas falsas & malas opi-
 niones beneuolentia erga dicentes, eorumve apud nos au-
 toritate inducti in errorem amplectimur. Spartanorum
 principes cū sententiā hominis parum laudatæ vitæ ap-
 probarent, alteri spectatæ vitæ morumq; eam pronuncian-
 dam mandauerunt. rectè admodum & ciuilitè populum
 adsuēfacientes, vt moribus potius quàm verbis consulenti-
 um duci studerent. Sed quæ in philosophia dicuntur, ea
 oportet existimatione eius qui dixit detracta, seorsum per
 se examinari. Vt enim in bello, ita etiam in auditione mul-
 ta sunt inania. Etenim canicies dicētis, gestus, supercilium,
 sui iactatio, maximè autem vociferationes ac tumultus &
 saltationes eorum qui intersunt, faciunt ad percilliendum
 impe-

*Admira-
 tionis cau-
 tio.*

*Ornamen-
 ta oratio-
 nis multi-
 lia.*

imperium
 dam adreptu
 pendum com
 & cum factu
 ad tribum can
 undans atq;
 prastring
 quidem in
 gabat se cam
 10 eluderent. be
 clamator
 sententia
 mouet
 da furor
 15 abrupit
 iam gloria
 rylum feru
 cum approb
 dona prom
 20 gratiam dice
 tanto et
 tales au
 est quam
 & volup
 25 vitam fructu
 ditionis
 eis que fer
 rida & a
 opus tu
 30 atque infr
 violarum
 thymu
 eique ad
 succo ad
 35 rus ar
 verba
 eaq; par
 animo
 nemque
 tubere: mem

Imperitum auditorem atq; adoleſcētem, veluti fluxu quo-
 dam abreptum, ipſa etiam dictio habet quippiam ad deci-
 piendum conducens, ſi rebus applicetur ſuauiſ ac copioſa
 & cum ſaſtu aliquo atque apparatu. ſicut enim eorum qui
 5 ad tibiam canunt errores plerique latent auditores: ita ab-
 undans atque ornatu ſuperbiens dictio animum auditoris
 præſtringit, ne rem de qua agitur intelligat. Et Melanthius
 quidem interrogauit (vt aiunt) de Diogenis tragœdia, ne-
 gabat ſe eam videre, quod vocabula eius cōſpectum inter-
 10 cluderent. Sed plerorunq; ſophiſtarum orationes atq; de-
 clamationes, non vocabulis modo tanquam cortinis velāt
 ſententias, ſed vocem quoq; accuratis quibuſdam ſonis ac
 mollicie & cantillationibus illi edulcantes, bacchicū quen-
 15 dā furorē in auditorū animis concitant, eōſq; tranſuerſos
 abripiunt: pro vana quam adferunt voluptate vaniore et-
 iam gloriolā reportantes. itaq; illis vlu venit id, quod Dio-
 nyſium ferunt dixiſſe: qui cum citharœdo cuidam præclara
 cum approbatione cātanti inter audiendū magna quada-
 20 dona promiſiſſet, deinde nihil dedit, perſoluſſe ſe tam ei
 gratiam dicens: qui quanto tempore canens delectaſſet,
 tanto etiam ſpe fuiſſet oblectatus. Arque hoc ſtipendium
 tales auditiones dicenti rependunt. Is enim in admiratione
 eſt quandiu delectat, deinceps ſimul cum auditione deſinit
 & voluptas, & dicentis exiſtimatione. & alter tempus, alter
 25 vitam fruſtra perdidit. Proinde oportet copia & vanitate
 dictionis remota, ipſum perſequi fruſtum, imitariq; non
 eas quæ ſerta plectunt mulierculas, ſed apes. Illæ enim flo-
 rida & adorata ſectantes folia, conſerunt atque pertexunt
 opus iucundum quidem illud, ſed in diem duntaxat durās
 30 atque infrugiferum. Hæ ſæpenumero prata peruolantes
 violarum, roſarum, hyacinthorumq; copia conſiſta, in
 thymum aſperriſſimum atque gūſtus acerrimi deferuntur,
 eiſque adſident mel meditantem ſlauum: perceptoq; vtili
 ſucco ad ſuum reuolant opus. Eo itaque modo debet ſince-
 35 rus artiſq; ſtudioſus auditor omittere florida & luxurioſa
 verba, reſq; ad actiones ſcenicās aut ſpectacula pertinētes,
 eāq; putare pro pabulo fucorum ſophiſticen ambientium;
 animo autem in ipſos orationis ſenſus penetrare, intentio- *Fruſtus ex*
 nemq; dicentis, & quod vtile eſt atque commodum ad ſe *auditione*
 trahere: memoria tenens, non in theatrum ſe aut odeum, *captādus.*

sed in scholam ludumq; litterarium venisse, vt oratione vi-
 tam corrigat. Ideoque auditionem considerare secum de-
 bet atq; examinare quomodo ea sit affectus, ac ratiocina-
 ri an aliquis ea motus animi factus sit sedatio, an aliquid
 de molesto leuius redactum, an fiducia & animi altitudo
 confirmata, an ad virtutem & honestatem instinctus aliquis
 animi excitatus. Cum enim è tonsrina abituri speculo ad-
 sistamus, caputq; contrectemus, vt tonsuram & præcisi-
 onem crinium examinemus: quanto magis è schola atq; ab
 auditione discedentes, statim debemus animum nostrum
 intueri, an ille molestis ociosisq; depositis aliquibus factus
 sit tranquillior. Nam vt aiebat Aristo, neque balnei neque
 orationis non purgantis vllus est vsus. Delectetur itaque
 vtilitate ex oratione percepta adolescens: non tamen dele-
 ctationem auditionis finem statuat: neq; existimet debere
 se è schola philosophi discedere cantillantem ac lætitia de-
 libutum, neque vnguentum quærere, cum irrigatione &
 cataplasmate indigeat: sed grato animo accipere, si quis a-
 spera oratione animum (veluti fumo aluearibus apes eii-
 ciunt) caligine & stupore quo fuerat occupatus euacuet.
 Et si enim dicentem par est non nullam planè curam in id
 ponere, vt dictio suavis sit & probabilis: tamen auditor
 eius minimam debet habere rationem, ab initio quidem.
 pòst, quemadmodum qui bibunt, extincta demum siti ob-
 uertunt pocula, cælaturamq; contemplantur: ita ipsi sen-
 tentiis impleto iam detur respirandi spacium, dictionemq;
 an elegans aliquid & elaboratum habeat considerandi. Qui
 autem statim ab initio non rebus ipsis inhæret, sed oratio-
 nem requirit Atticam atque subtilem, perinde facit, ac si
 quis antidotū nolit bibere, nisi testa sit in Attica Colia de-
 ficta: aut hyeme vestem sumere recuset, si non sit ex Attica
 lana texta. eodem enim ille modo in lacerna orationis Ly-
 siacæ desidebit tenui ac vili, iners atque immobilis. Hęc vi-
 tia magnam vanitatem animorum, magnamq; inania gar-
 riendi subtilitatem atque argutias adolescentum in scho-
 lis genuerunt, neq; vitam neq; actiones neq; in repub. con-
 uersationem philosophorum obseruantium, sed vocabula
 dūtaxat ac verba: laudantiūq; si quid bene pronūciaretur,
 id verò de quo pronūciabatur vtile esset an inutile, neces-
 sariū an inane & superuacueū neq; intelligentiū, neq; in-
 quiren-

*Delecta-
 tionis quæ
 habenda
 ratio.*

quirentium. Consequens his est præceptio de quaestionibus. Nam cum quidem, qui ad cenam venit, uti appositis decet, neque vel alia postulare, vel culpæ appositæ. Qui verò inuitatus est ad auditionem, is si quidem certa lege vocatus est, audiatur tacite dicentem, qui enim ad alia argumenta deducunt, aut interrogationes interijciunt, aut dubitationes mouent, importuni auditores, & quibus cum dicente non facile conueniat, nullam capiunt auditionis utilitatem, sed simul & orationem & oratorem conturbant. Vbi verò is qui dicit, auditores querere & ponere de quo disputetur iusserit, ibi semper danda est opera, ut necessarium aliquid aut vtile quaestio tua proponat. Deridetur apud procos Ulysses: *Quales proponenda quaestiones.*

Panis frustra petens, non enses, sine lebetes: *Odyss. e.*

magni animi quippe putabant esse ut dare, ita etiam petere aliquid magnum. Rectius verò auditorem aliquis detideat, paruas & frivolas quaestiones proponentem. quem admodum adolescentes nonnulli, ut suas argutias & dialecticas aut mathematicam peritiam ostendent, solent querere de infiniti sectione, & qui sit motus secundum latus aut secundum dimetientem. Quibus responderi potest, quo pacto Philotimus respondit cuidam pure intus laboranti & tabiam obnoxio, quod ex colore & respiratione medicus deprehendebat, medicamentum petenti aduersus reduuiam: Non est tibi, amice, aduersus reduuiam opus medicina. Ita & adolescenti dicitur, Non est tempus tibi de his quaestionibus cogitandi, sed quo pacto factu, arrogatia, amoribus, nugis que liberatus possis vite statum vanitatis expertem ac sanum inire. Ad peritiam quoque dicentis & naturalem propensionem oportet auditor ut se accommodet studiosè, & de ijs querat, in quibus ille tractandis plus quam vllio alio in genere valeat, neque aliud eum adigere: ut si morali philosophiæ dedito physicas aut mathematicas difficultates proponas, aut naturæ cognitionem sibi sumentem in connexorum iudicium, aut solutiones pseudomeni trahas. Sic ut enim qui clavi ligna findere, aut securi fores referare conetur, non tam illa instrumenta corrupese, quam se ipsum vsu vtriusque & facultate priuare videatur: ita qui a dicente quod offert non accipientes id exigunt, quod is non dicit aut non exercuit, non in eo tantum læduntur, sed & in malignitatis atque odij cuiusdam crimine incurrunt. Id quoque

cauebis, ne multa aut frequenter quaras. est enim hoc eius, qui quodammodo interum se ostenter. alio autem proponente audire placidè, studiosi est & communicanis rationem discendi cum alijs: nisi sit priuatim qui urgeat affectus inhibitionem requirens, aut morbus admonitionis egens. 5 Nimirum enim, vt aiebat Heraclitus, non conducit occultare inscitiam: sed in medium proferenda, eiq; facienda est medicina. Quod si ira aliqua, aut superstitio, aut dissensio cum domesticis vehemens, aut ab amore profecta furiosa cupiditas,

Non ad te motas mentis commouens fides

*Ad nos per
magna an
dare debe-
mus.*

animum conturbet: non de his reprehensionis vitandæ studio alia differendi argumenta querere, sed in disputationibus de his ipsis audire, & digestas in se priuatim accedere & rem disquirere. Contra vulgo in eo peccant, quod gaudent 15 & admirantur vbi philosophi de alijs loquuntur. quibus ij omisiss si ad ipsos orationem cõuertant, & liberè moneant de ijs de quibus ipsorum interest, indignè ferunt, operamque putant eam sumi supernacaneam. opinantes scilicet philosophos in scholis ita esse audiendos, vt tragædi in 20 theatro audiuntur: in rebus extra scholam, philosophos nihil ipsis esse præstantiores. Quod quidem de sophistis nõ iniuria sentiunt. qui vbi de suggesto descenderunt, librosque deposuerunt & institutiones suas, in serijs vitæ rationibus explicandis ieiuni sunt & vulgo nihilo meliores. Quod au- 25 tem ad veros attinet philosophos, ignorant eorum & seria & iocos, & nutus, & vultum siue ad lubricandum compositum siue tetricum, maximè autem verba ad aliquem scorsim directâ, habere fructum suum ijs conducibilem, qui sustinere animumq; attendere didicerunt. Iam quod ad lau- 30 dationes attinet, requirunt hoc officium cautionè aliquam & mediocritatem: quando neque excessus eo in genere neque defectus est liberalis. Molestus est enim & importunus auditor, qui nulla orationis parte mouetur aut delinitur, repletus fastu quodam inuidia iussufo & in ira sui solius approbatione, veluti qui aliquid ijs quæ dicuntur meliùs dicere se posse præ se ferat: cum neque supercilium pro deco- 35 ro moueat, neque vllam emittat vocem quæ eum animo æquo audire testetur, sed silentio & ficticia granitate atque habitu opinionem venetur constantis profundique homi- nis,

*Philosophi
aliis au-
diendi,
quàm so-
phista.*

*Laudandi
modus.*

nis, qui laude perinde atq; pecunia seipsum ea priuaturum se putet quam alteri impertiat. Sunt autem multi, qui male & alieno sensu Pythagoræ dictum accipiunt, qui id se è philosophia lucri abstulisse dixit, nihil vt miraretur. ij verò in despicentia collocant abstinentiam à laudando & honorando, contemtuque aliorum grauitatem suam metiuntur. Etenim philosophica ratio eã quæ ab hæitatione & ignoratione profiscitur admirationem atq; stuporem eximit, cognitione & enarratione causarum subiecta: facilitatem
 10 interim, magnanimitatem, humanitatemq; non delet. Qui enim reuera & constanter sunt boni, ijs honor est pulcherrimus honore dignum aliquem afficere, summumque ornamentum alios ornare: quod abundantia quadam gloriæ & liberalitate possunt. qui verò in alijs laudandis parci sunt,
 15 suarū adhuc inopes laudū fameliciq; videntur. Peccat in alterā partem qui nihil interponit iudicij, sed cuius voci aut syllabæ insistens acclamat, leuis quidā homo & auicularum similis. atq; is plerunq; ne ipsi quidē probatur aëtori: auditorib. quidē molestus semper est, excitans eos inuitos identidem, & quasi vi obtinens, vt vetercundia tracti vnā adirepant. & nullam consecutus vtilitatem, quod plenā tumultus effecerit laudationibus suis. concionem, discedit cum vno ex his tribus titulo, vt aut subannator videatur fuisse, aut adulator, aut orationum rationis imperitus & ineptus.
 25 Porro qui iudicis officium fungitur, is & odio & benevolentia vacuus audire debet integro animo quid iuris sit. In ijs autem auditionibus quæ de litteris sunt, neque lege vlla neque iureiurando impedimur quo minus beneuoli audiamus differentem. quin & Mercurium veteres in dedicandis
 30 fanis adiuxerunt Gratijs, significaturi orationem maximè *æquanimis in audiendo.* flagitare benignas & amicas aures. Nunquā. n. putabāt eum qui diceret adeò absurdum fore aut à scopo aberraturum, quin si non sententias laude dignas aut commemorationes aliarum rerum, aut argumentum ipsum institutumq; orationis protulisset applausum merens, saltem dictio aut collocatio orationis deberet approbari:

Inter echinopodes velur, asperam Es inter ononin

Interdum florent mollia leucoia.

Quando enim quidam vomitus, febris, atq; adeo olla laudationibus publicè declamatis nõ expertes fuerunt approbatio-

s. de rep.
prope si-
nem.

bationis: viri alioquin philosophi vel nomen vel existima-
tionem gerentis oratio non possit omnino respirationem
aliquam & laudandi tempus parere auditoribus benignis
atque humanis? Ait Plato, qui formosi sunt quocumq; tan-
dem, aliquo saltem modo mordere amatores suos. quòd a
mator albos deorū filios appellans, nigris virilium nomen
tribuens, adunco nasco præditis regionum, compresso gra-
tiosorum, pallido mellei coloris, amplectitur atque diligit.
nam amor hederæ instar valet se quavis arrepta ansa appli-
care. Multo igitur magis audiendi litterarum quæ studiosus 10
subinde aliquam repererit causam, cur non abs re quenuis
dicentem videatur laudare. Nam & Plato cum Lysia ora-
tionis neque inuentionem laudaret: & dispositionem con-
turbatam culparet, elocutionem tamen laudauit, & quòd
singula vocabula perspicue essent ac totundè tornata. Ac 15
reprehendere posset sanè aliquis Archilochi argumentum,
Parmenidis versusum compositionem, Phocylidis tenuita-
tem, Euripidis loquacitatem, Sophoclis inæqualitatem:
quo pacto & ex oratoribus alius placidis animi motioni-
bus caret, alius ad concitandos grauiter animos nil habet 20
virium, alium gratiæ destituunt. quibus tamen peculiarem
vim mouendi & ducendi habuit ob quam laudatur. Quo
fit, vt auditoribus copia suppeditet materiæ, vnde dicentem
demereantur. Quibusdam enim sufficit etiam si vocè non
testemur approbationem, oculus saltem placidus, faciesq; 25
hilaris, & constitutio vultus. hæc enim iam vsurpari etiam
vbi quis planè infeliciter dicit, vulgo receptum est, in quæ
omni auditione adhiberi. Sessio autem non insolens, & sine
flexu recta forma, & oculi in ipsum dicentem conuersi, ac
seriæ attentionis, vultusque quieta constitutio, & quæ non 30
modò nullum contentus aut indignationis, sed neq; alia-
rum curarum aut occupationum animi indicium habeat,
eodem faciunt. Ac quemadmodum in quacumq; re id quod
pulchrum est ex multis numero diuersis & ad vnum temp-
oris articulum conuenientibus, quadam concinnitate & con- 35
centu perficitur: cum turpitudine statim existat, vel vna ali-
qua etiam leuicula re deficiente, aut absurdè adsumpta, sic
etiam in ipsa auditione non modò grauitas supercilij, &
vultus parum iucundus, oculi vagi, corporis circumactio,
indecora femorum inter se permutatio: sed & nutus, & su-
furrus

- furrus ad alterum, & subrisio, & somnolentæ oscitationes, ac demissio vultus, & quidquid tale est, in vitio ponitur, estque accuratè cauendum. Sunt interim qui putent suas esse dicentis partes, auditoris nullas. atque illum volunt venire præmeditatum atque paratum: ipsi meditationis curatum que vacui & non ductis sui officij rationibus in auditorium se conijciunt, sedentque veluti ad cœnam si venissent aliorum labore partam voluptatem percepturi. Atqui & continua scitus suum habet officium, & multo magis auditor.
- 10 Particeps est enim orationis, & dicentis adiutor: neque debet eius delicta seuerè examinare, dictionem actionemque vbiq; sub censuram vocando, & ipse censuræ liber in auditione turpiter se gerere. Sed quemadmodum in pilæ ludo qui excipit iacienti se motibus corporis concinnè solet accommodare: ita inter dicentem quoque & auditorem, si uterque officium suum tueatur, quædam est proportio. Porro in laudando non est temerè quibusuis vtendum vocibus. Nam Epicurus quoque molestus est, qui à suis familiaribus ad epistolia amicorum tumultus plausuum excitari scribit.
- 20 Et qui nunc inusitatas in auditoria introducunt voces, dum acclamant Diuinitus, diuino instinctu, Præclariùs quam vt *laudum modera.*
- 25 centesque traducunt, quasi hi superbia impulsis nimias laudes affectarent. Vehementer etiam molesti sunt, qui iureiurando adhibito, veluti in foro, testimonia dicentibus perhibent. Neque his minùs ij, qui personarum decorum non obseruant, dum philosopho acclamant Acriter, seni Ingeniosè aut Floridè: voces ladentium lasciuientiamque in scholasticis declamationibus ad philosophos ij transferentes orationique seriatim amatoriam laudem accommodantes perinde ac si quis athletæ sertum liliorum rosarumve, non laurei aut oleastri coronam imponeret. Euripides sanè poeta,
- 35 cum quidam risisset dictante ipso chori personis carmen quoddam ad harmoniam compositum: Nisi, inquit, stupidus esses indoctusque homo, non utique risisses me Mixolydiè cantante. Et vir nimirum philosophus ac ciuilis, auditoris in latitiam effusi luxuriam his verbis compesceret. Tu mihi demens quidam homo videris, disciplinæque expers. alioqui

*Auditore
debere esse
præmeditatum.*

*Laudum
modera.*

Obiurgationes et audienda.

qui me docente, aut verbis castigante, aut differente de deo, vel republica, vel imperio, non tu cantillasses aut saltasses. ac mihi seridè considera quid rei sit, philosopho differente eos qui foris sunt propter auditorum vociferationem & fremitum dubitare, tibicen ne aliquis, an citharædus, an verò saltans laudetur. Caterùm admonitiones & obiurgationes non sunt sine doloris sensu, neque effeminate etiam audiendæ. Qui enim faciliè & neglectim ferunt se maledictis philosophorum peti, ita vt reprehensu rideant, laudentque reprehensores, quomodo parassu eos à quibus aluntur laudant si ab ijs conuicio impetuntur: ij planè proterui & feroces, impudentiam neque bonum, neque verum fortitudinis argumentum ostentant. Salsè enim in se iactum aliquod dictum, citra tamen iniuriam & cum facetia, ferre sine dolore & hilarè, non est indignum ingenuo & disciplinam experto, sed omnino liberale ac Laconicum. Verùm vbi castigatio vitæ corrigendæ gratia suscepta sermone vitur acriter arguente, tanquam medicamento mordente: ibi non audire submisisse, neque pudore animum accensum vertigine corripere & sudore perfundi, sed immotum audire diductis que in risum labijs, ac dissimulare omnem dolorem, planè illiberalis est signum adolescentis. & à verecundia alieni: ob consuetudinem peccandi continentem animo eius, sicut in dura sit & callosa carne, vibicem non admittente. Diuerso autem modo sunt affecti, qui cum semel malè audierunt, fugiunt ira vt nunquam retrò se conuertant, omninoque philosophiam trās fugæ relinquunt: ij cum à natura habeant verecundiam, bonum ad salutem paradā principium, perdunt illud dum ob luxum & molliciem non tolerant reprehensiones, neque fortiter correctiones sustinent, sed ad blandas atque delicatas audiciones se conuertunt, vbi adulatoris aliqui aut sophistæ vocibus dulcibus quidem, sed vtilitatis omnis vacuis demulceant. Sicut ergo qui post sectione fugit medicum, neque ligari factum vulnus sinit, eam is medici operis partem quæ dolorè affert pertulit, eam quæ sanat aspernatus: ita qui orationem, qua stulticia ipsius lacinata ac sauciata fuit, non patitur etiam persanare vlcus & ad cicatricem perducere: is morsus & dolore affectus, nullo percepto commodo, à philosophia recedit. Non enim solum Telephi vulnus, vt est apud Euripidem,

Ramenta

Ramenta lima demta cuspidi fontent:

sed etiam morsum bonæ indolis adolescentibus à philosophia inflictum eadem quæ sauciauit sanat oratio. Itaq; paritidem oportet & morderi, non conteri autem, neque animo concidere qui reprehenditur. sicque statuat, se philosophiæ tanquam mysterijs quibusdam magnis initiatum, primas lustrationes ac tumultus ubi perculerit, spem habere iucundi splendidiq; fructus præsentem molestiam & conturbationem secuturi. Sic etiam ubi videbitur immeritò

10 increpatus, rectè ager sustinendo, & ad finem usque patienter audiendo, sine factò compellabit hominem sui purgandi causa, precabiturque ut libertatem reprehendendi istam atq; vehementiam qua aduersus se nunc fuit usus, ad arguendum aliquod verè peccatum referret. Præterea sicut in

15 litteris, lyra, palæstra ea quæ initio discenda sunt multum habent tumultus, laboris, ac obscuritatis: inde paulatim factis progressibus consuetudo tanquam cum hominibus & noticia plenior parta, omnia amica, mansueta & faciliora dictu actuque facit. ita cum philosophia quoque in primis

20 vocibus atque rebus habeat omnino quippiam iciumum & insolens, non conuenit quenquam ipsis initijs perterritum (quod planè fuerit ad quemuis timescentis strepitum hominis atque inaudacis) rem totam deserere: sed conantem singula, operamque impendentem, & progressibus intantum, expectare consuetudinem quæ omnia bona reddere

25 valet iucunda ea enim non multo post tempore aderit, magnam adferens disciplinæ lucem, & acres amores inferens virtutis: sine quibus planè ærumnosi est aut meticulosi hominis reliquam posse perferre vitam, ubi ob molliçiem quis

30 philosophia excidit. Neque abnerim prorsus res ipsas habere quippiam quod imperiti & iuvenes initio perspicere, vix, aut ne vix quidem possint. sed tamen in maximam obscuritatis partem ipsi sua culpa incurrunt, in idem diuersis ingenijs peccatum prolabentes. Quidam enim verecundia

35 quadam ducti, & parcere doctõri volentes, metuant interrogare & confirmare doctrinam, ut re percepta assentiri possint. alij intempestiua ambitione & inani cum alijs certandi studio ut acumen ingenij ac facultatè discendi ostentent, priusquam acceperint habere se profitescentes, nihil percipiunt. Ita usu venit, verecundis quidem istis ac taciturnis,

*Principiè
difficilia*

*Cum nihil
discant
pleriq;*

vt digressi in mœrore sint ac dubitationibus, cogunturque tandem necessitate impulsī maiore cum pudore dicentes interpellare, & quæstiones reuocare ac retrosum discurrere. ambitiosus autem illis atq; audaculis, vt suam insciam semper occultent atque tegant. Repudiata itaque omni id generis stupiditate atque arrogantia, in id incumbamus, vt discamus animoque comprehendamus quidquid vtiliter dicitur, patiamurque nos rideri ab his qui sibi ingeniosi videntur, sicut fecerunt Cleanthes & Xenocrates. qui cum viderentur tardiores esse quam qui vnâ scholam frequenta-
 10 bant reliqui, nō profugerunt à discendo, neque animos desponderunt: sed vtrò in seipos diceria iecerunt, vasis angustis orificij, & æreis tabulis se similes dicentes, vt qui agrè doctrinam perciperent, perceptam firmiter constanterque retinerent. Non enim duntaxat quod apud Phocylidem est, 15

Qui vult esse probus, falsi hunc persape necesse est:

sed & derideri oportet sæpe, & ignominiam ferre, & falsè dicta, & scurriles insectationes. omni denique robore animi aduersus insciam niti, eamque deijcere oportet. Sed & illud vitandum est in quo in diuersas alij partes peccat. Sunt 20 enim qui ob ignauiam suam molesti sunt doctoribus atque importuni. qui cum nolint seorsim ipsi laborem discendo impendere, læpenerò eadem de re interrogando negocium facessunt doctori: instar implurium pullorum semper ad alienum os hiantes, cupientesq; omnia sibi iam antè
 25 ab alijs præparata & elaborata tradi. Alij attentionis & acuminis gloriam non suo aucupantes loco, garrulitate & curiositate magistros obuadunt, semper aliquid non necessarium in disputationem trahentes, demonstrationesq; rerum nihil ad institutum facientium quærentes: 30

Hoc pacto iter, breue quod sit, longum redditur,

vt Sophocles ait, non ipsis tantum, sed & alijs. nam identidem vanis & superuacaneis interrogationibus magistrum occupantes, veluti in faciundo itinere, impediunt continuationem doctrinæ, interceptæ atque moram passæ. Atq; 35 hi quidem, vt Hieronymus sentit, similes sunt ignauorum ac timidorum canum, qui cum domi pelles mordeant, ac villos vellant, ipsas feras non tangunt. Segnes autem illos hortor, vt cum capita rerum animo complexi fuerint, ipsi suo Marte reliqua adponant, memoriaque inuentionem quasi

*Exempla
 patientia
 in discendo.*

*Duo alia
 auditorū
 vitia.*

quidam docent
 scem occupantes
 us, ita mentis quos
 rim & alios
 qua in ceteris
 nem ferat
 inuenio ibi
 ciat. ita si quod
 met sum in
 10 mente, sed quod
 semper in
 quærit in
 nem ferat
 sophia discit
 rectum inuenit
 epulo mem
 firmitatem. vt
 efferebat ad
 nis aut nuda
 10 phicam que p

PLVTARCH.

31

30 est res amara
 chra potius
 sunt & doct
 se in genere
 subigentes
 31 cit, vt quod
 zimus, non
 vult esse sibi
 cum obiectis
 vult esse
 die, omnia quæ

quasi manu ducant, & orationem alterius veluti initium ac
 femen accipientes enutriant atque augeant. Non enim vt
 vas, ita mens quoque impleri opus habet, sed fomitem tan-
 tum & alimentum (sicut materia effectoris eget) requirit
 5 qua incitetur ad inueniendum, & ad veritatis indagatio-
 nem feratur. Sicut ergo fatuus sit qui à vicino ignem petēs,
 inuento ibi splendido foco perperud adsideat & se calefa-
 ciat. ita si quis ad alium accedens discendi causa, non existi-
 met suum se peculiare sibi lumen debere accendere in sua
 10 mente, sed gaudeat auditione, eaque se oblectans magistro
 semper adsideat: is ruborem quidem nitoremq; opinionis
 quendam audiendo sibi parat, sed internam animi ærugi-
 nem flammis non excoxerit, neque caliginem luce philo-
 sophiæ dispulerit. Quòd si igitur alio præcepto vsus est ad
 15 rectam audiendi rationem, oportet nos huius quod modo
 exposui memores, simul cum discendo inueniendi exercere
 facultatem. vt cum statuerimus principium rectè viuendi
 esse rectè audire, habitum nobis non sophisticæ ostentatio-
 nis aut nudæ cognitionis, sed animo impressam, philoso-
 20 phicumq; paremus.

PLVTARCHI COMMENTARIVS, QVOMO-
 do possit adulator ab amico internosci.

25 **A** PVD Platonem est, Antioche Philopappe, veniam
 omnes dare ei, qui sui sese maximo teneri amore
 profiteatur: verum præter alia hoc summum ex
 amore tali vitiū in animo hominis existere, quod
 30 iustus sui ipsius incorruptusq; esse iudex nequit. cæcus enim
 est rei amatæ cognitor qui amat: nisi quis adsuerit pul-
 chra potius in precio habere ac sectari, quam cognata quæ
 sint & domestica. Hoc vitium adulatori sub specie amici se-
 se ingerendi magnam aperit fenestram opportuna ad nos
 subigendos arce vtenti nostro amore nostri: qui amor fa-
 35 cit, vt quisque sui ipsius assentator cum sit primus atq; ma-
 ximus, non difficulter admittat externum, quem putat ac
 vult esse sibi atque accedere testem adstipulatoremq;. Cui
 enim obijcitur quòd adulatoribus delectetur, is seipsum
 valdè amat, atque ob benevolentiam omnia sibi vult ad-
 esse, omnia putat ea, quæ velle quidem habere non est ab-
 k surdum,

Lib. 5. de
 leg.
 Amor sui.